

lata, ex eo quia non turbavit actorem prout in hoc interdictione requiritur, & nunc incipit turbare post sententiam absolutoriam latam; tunc optime potest actor de novo agere contra eum ratione novae turbationis; nec obstat ei exceptio rei iudicatae; quia cum ista sit nova causa & turbatio, & novum agendi principium, merito datur & competit actori istud remedium & interdictione *uti possidetis*, & tunc actor debet esse cautus, ut probet turbationem esse factam post sententiam. Si vero sententia absolutoria est lata pro reo, ex defectu possessionis ipsius actoris; quia iudex absolvit ex eo quod actor non possidebat, vel absolvit quia deficiebat sibi qualitas justificata possessionis in hoc remedio requisitae, ut quia possidebat clam, vi, vel precario ab adversario, & sic à reo absoluto; tunc actor iterum non poterit agere, quia obstat exceptio rei iudicatae, nisi velit agere ex nova possessione, vel ex nova causa & qualitate possidendi, per quam prima qualitas possidendi mutata sit: argumento textus in *leg. 3. §. Illud*, & in *leg. Qui bona fide. §. 1. ff. de Acquirenda possessione*, & in *leg. Non solum. §. 1. ff. de Usucap. & in leg. 2. §. final. ff. de Usucap. pro emptor. & in leg. penultim. & final. ff. Si pars haered. petat. & in leg. Cum nemo, cum materia. Cod. de Acquir. posses. & in leg. final. in princip. ff. de Precario. Si vero nulla causa absolutiois fuit posita in sententia, vel causa est dubia, quia iudex dixit: *Absolvo reum, quia actor non probavit*: tunc similiter obstat exceptio rei iudicatae, quia debet intelligi de omni causa quae incumbat actori probari: ita singulariter & in specie solus Bald. licet sic non declaret, in *cap. Cum super de caus. pos. & propr. 2. column. num. 8.* Intellego tamen istum finalem articulum, & conclusionem, nisi ex actis possit apparere causa ex qua sententia absolutoria fuit lata: argumento Glossa singularis in *leg. Si quis ad exhibendum. ff. de Except. rei iud. quam ibi sequuntur Bartol. & communiter DD. & dicit singulariter Bald. in leg. Praecedente*; & secundum istam distinctionem, debet intelligi Faber. in *§. Retinenda. 10. column. numer. 31.**

178 Item in materia nostra principaliter quaero; si hoc iudicio & remedio possessorio intentato, uterque litigantium dicit & prae tendit se possidere, & probat possessionem, & petit ab alio non molestari vel inquietari, & petit alia, de quibus supra: Qualiter iudex debeat tali casu proferre sententiam, & quis eorum veniat condemnandus, vel absolvendus? Et iste articulus est valde subtilis, dubius, & quotidianus: in quo resolutivè pono veras & magis communes conclusiones.

Prima conclusio: Si uterque possidet justè, diverso tamen titulo respectu possidendi, ut proprietarius & usufructuarius, & unus turbat alium; tunc quilibet poterit agere hoc interdictione: ita probat textus in *leg. Si duo. ff. Uti possidetis*, & ibi Bart. in *princ. & melius in 2. column. versic. Si constaret*, Alberic. Angel. Rainer. & communiter DD. textus in *leg. final. versic. 1. eod. titul. idi: Et si alter usumfructum, alter possessionem sibi defendat*, & ibi expressè tenent & notant Glossa ordinaria, Bartol. Alberic. qui legunt illam *leg. in §. Praecedenti*, Angel. & Rainer. communiter DD. Glossa notabilis ordinaria quae benè declarat in *cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, post princip. & ibi Innocent. penultim. column. prope finem. Hostiens. penultim. column. num. 67. Abb. antepenultim. column. num. 36. Glossa in leg. unic. Cod. Uti possidetis, in verb. Prohibebit, post princip. & ibi Jacob. Butr. fin. column. in princ. Cin. penult. column. in fin. vers. Secundo casu. Bartol. fin. column. in princ. Alber. penult. column. in med. Salycet. penult. column. post princip. Rofred. in *Libellis suis, in tit. de Interdicto utrobi. 2. col. in fin.**

Secunda conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum, eodemque jure possidendi, tamquam verus dominus rei, sed unus probavit per plures vel meliores testes; ille tantum debet obtinere in hoc interdictione. Et intellego meliores testes, secundum qualitatem & dignitatem personarum, vel secundum verisimilem depositionem & rationem testium secundum naturam & qualitatem negotii, argumento textus notabilis in *leg. Ob carmen. §. fin. ff. de Testibus, ibi: Si verò ex his quidam eorum aliud dixerint, licet in pari num. credendum est secundum quod naturae negotii convenit*, & ibi: *Et quae rei aptiora & vero proximiora esse compererit*, & ibi notant & reputant solemnem in materia nostra turbatae possessionis Bartol. Odofred. Bald. Salyc. Jacob. de S. Georg. & communiter DD. text. in *leg. 3. §. Ejusdem*, ibi: *Aliis numerus testium, alias dignitas & auctoritas, eodem titul. & in expresso istam conclusionem tenet Bartol. in dict. leg. Si duo. 2. column. versic. Quandoque uterque, &c. idem Bart. in leg. unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princip. Jacob. Butr. notabiliter fin. column. post princip. idem Jacob. Butr. in leg. Incerti. Cod. de Interdictis. 3. column. post medium. Salyc. in dict. leg. unic. Cod. Uti possid. penult. column. in med. Bald. in leg. Ordinarii, penultim. column. in princip. Cod. de Rei vend.*

Tertia conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus rei, & uterque probat per testes aequales numero & dignitate, sed unus probat de possessione antiquiori quam aliis; ille de-

debet obtinere, quia secunda possessio praesumitur clandestina, vel vitiosa, cum duo insolidum non possint possidere: istam conclusionem probat textus notabilis, & capitalis in materia in *cap. Licet causam de probat. versicul. Ex praemissis*, & ibi Anton. 10. column. num. 48. & alii DD. & per illum textum istam conclusionem tenet Bartol. in *leg. Si duo. ff. Uti possid. 2. column. versic. Si verò testes*, idem Bartol. in *leg. unic. Cod. Uti possid. fin. column. post princip. Jacob. Butr. ibi, fin. col. post princip. Cin. penult. column. in fin. Angel. fin. column. in medio. Salyc. penult. column. in medio. Jacob. Butr. in leg. Incert. juris. Cod. de Interdict. 3. column. prope finem. Bald. in leg. Ordinarii. Cod. de Rei vindic. penult. column. in princ. Alber. in leg. Si de vi, penult. column. in princip. ff. de Judiciis.*

Quarta conclusio: Si uterque probat se possidere insolidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus, per testes aequales numero, & dignitate, & similiter probant de aequali tempore possessionis, & tamen unus ostendit & probat titulum iustum suae possessionis, aliis non; ille debet obtinere, quia censetur habere potentiora jura, textus est notabilis, & expressus in *dict. cap. Licet causam de probat. vers. Ex praemissis*, & ibi notant DD. & per illum textum tenet Bart. in *dict. leg. Si duo. ff. Uti possid. 2. column. vers. Sed si uterque*. Idem Bartol. in *leg. Una. Cod. Uti possid. fin. column. in medio. Jacob. Butr. fin. column. Cin. fin. column. in princ. Angel. fin. column. in med. Jacob. Butr. in leg. Incerti. Cod. de Interd. 3. column. in fin. Bald. in leg. Ordinarii. Cod. de Rei vind. penult. column. in princip. Alber. in leg. Si de vi, penult. column. in princip. ff. de Judic. Ex quo subtiliter nota, quod licet in isto iudicio, & remedio possessorio non requiratur aliqua probatio proprietatis, quia causatur à sola possessione; tamen bene roboratur, & fortificatur ex ipso titulo proprietatis, cum titulus proprietatis inducat in hoc iudicio praelationem & victoriam, data paritate probationis: ita subtiliter Bald. in *leg. Incerti. Cod. de Interdict. 6. column. num. 14.* & ante eum voluit Bartol. in *leg. Una. Cod. Uti possid. fin. column. in medio. Jacob. Butr. in dict. leg. Incerti. Cod. de Interd. 3. column. in fin.* voluit etiam Anton. & Butr. in *dict. cap. Licet causam de probat. 10. column. num. 45.* Item adde, quod ex hoc notabiliter infertur, quod si partes probarent aequaliter de possessione, & similiter probent titulum, tamen una ipsarum probet de antiquiori titulo; illa praefertur & debet obtinere, quia praesumitur quod ei fuerit prius tradita possessio, argum. text. in *dict. cap. Licet*, & in specie ita singulariter tenet Alexand. in *dict. l. 1. Cod. de Edict. divi Adriani. toll. in princ. num. 2.**

& confirmatur ex sententia Jacob. de Aret. Cin. & aliorum in *leg. Quoties. Cod. de Rei vind.* ubi dicunt, quod si pluribus sit res vendita, & utriusque tradita, & non apparet cui prius, praesumitur prius tradita primo emptori.

179 Quinta conclusio: Si uterque probat se possidere in solidum eodem jure possidendi, tamquam verus dominus, per testes omnino aequales numero & dignitate, & de aequali tempore possessionis, & nullus eorum probat titulum suae possessionis, vel uterque ostendit, & probat aequalem titulum: ista est valde subtilis & dubia quaestio, in qua reperio aliquas diversas opiniones: Prima est, quod iudex simpliciter pronuntiet eos possessores, dicendo, *uti possidetis ita possideatis*: & sic uterque obtineat, argumento textus in *leg. Si duo in princip. ff. Uti possid.* ubi, si plures possident, quilibet defenditur in possessione per hoc interdictionem. Sed ista opinio aperte est falsa: quia textus in *dict. leg. Si duo* loquitur eo casu quo plures possident diverso jure possidendi, ut in casu primo concludo; unde merito quilibet defenditur in sua possessione; in nostro vero casu uterque praetendit possidere insolidum eodem jure possidendi; unde cum hoc videatur impossibile, ut in *leg. 3. §. Ex contrario. ff. de Acquir. posses. cum similib.* non debet sic ferri sententia. Confirmatur etiam, quia sequeretur quod partes venirent ad arma, quod iudex debet evitare; ut in *leg. Equissimum. ff. de Usufruct. cum materia*, & ista consideratione istam opinionem reprobat Bartol. in *dict. leg. Si duo. 2. col. prope fin. ff. Uti possid.* & Glossa ordinaria in *dict. cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, in medio.* Secunda opinio est, quod sorte dirimatur cui sit adjudicanda possessio, & ille defendatur in possessione, & alius intentet iudicium petitorium vel vindicationis, argumento text. in *leg. 3. in princip. Cod. Commun. de Legat. text. in l. In tribus, cum sequent. ff. de Judic. text. in leg. 5. ff. Famil. ercisc. text. in leg. Generaliter. §. Proinde, versic. Quis ergo. ff. de Fideicom. & istam opinionem tenet Glossa ordinaria in *cap. Licet causam, de probat. in verb. Uti possidetis, in fin. & ibi Hostiens. penult. column. prope fin. & dicit hoc esse justius, & quod per consuetudinem approbatur: idem etiam tenet ibi Joann. Andr. fin. column. prope fin. Felin. penult. column. in fin. qui dicit hanc esse magis communem opinionem. Sed ista opinio etiam est falsa, quia iudicium sortis numquam habet locum, quando vertitur dubium super facto, sed tantum quando est dubium super jure: ista est Glossa reputata singularis in *leg. Una. Cod. Uti possid. in verb. Prohibebit in fin.* quam dicit singularem Imol. in *l. Hujusmodi. §. fin. de Leg. 1.***

& ibi Alexand. 2. column. & melius Jas. 3. column. 12. Idem Jas. in leg. 3. Cod. Commun. de Legat. 1. column. in fin. & per istam rationem istam opinionem reprobatur Glossa in dict. leg. Una. Cod. Uti possid. Bartol. in dict. leg. Si duo. ff. Uti possidetis. 2. column. in fin. Item etiam, quia iudicium sortis numquam habet locum nisi in casibus à jure expressis, ut in dictis iuribus notatur. Tertia opinio est, quòd in tali dubio casu iudex nullam debet proferre sententiam inter partes, sed abstinere se debet à iudicando, prohibendo eos non venire ad arma, & qui velit, intentet petitum: istam opinionem tenet Glossa ordinaria in dict. leg. unic. Cod. Uti possid. in verb. Prohibebit, versic. Secundo casu, & tenet ibi Azor. in Summa illius tituli. penultim. column. in fin. num. 22. Jacob. Butr. fin. column. in med. Cin. final. column. limitans hoc esse verum quando uterque agit: secus verò si unus eorum; quia tunc alter absolvitur auctore non probante. Joan. Faber. ibi in suo Breviario, penultim. column. in fin. Alber. penultim. column. in fin. Bald. penultim. column. in med. Angel. final. column. prope finem. Salycet. penultim. column. prope finem. Faber. in §. Retinenda, Institut. de Interdictis, 10. column. num. 29. Rofred. in Libell. suis, in titulo de Interdictis. utrobi. 2. column. num. 3. & dicitur tenere dominum suum Rogerium: istam etiam opinionem tenet Cardin. in cap. Licet, de probat. final. column. in fin. Imol. 5. column. num. 28. Specul. in tit. de Petitio & possessio. 7. column. num. 32. versic. Et nota. Quarta opinio est, quòd in isto casu, data omnimoda paritate probationis, iudex pronuntiet utrumque possessorem illius rei pro æqualibus portionibus pro indiviso, quia præsumuntur domini pro eisdem partibus: Pro qua sententia, & conclusione primò facit, quia si duobus, vel pluribus est relicta eadem res in solidum, faciunt sibi partes per concursum, & uterque habet æqualem partem in re: textus est in l. Si pluribus. ff. de Legat. 1. textus in leg. 1. §. Si eadem res Institut. de Legat. textus in leg. 1. §. Interdum. ff. de Usufruct. accres. Secundo facit textus notabilis in leg. Si finita, §. Cum autem plures. ff. de Dam. infect. ubi, quando plures, quibus debet caveri de damno infecto, mittuntur in possessionem domus ruinosa ex primo decreto, intelliguntur immissi æqualiter pro indiviso, & faciunt sibi partes per concursum. Tertio facit, quia quando res est divisibilis, & probationes sunt omnino partes, dividitur inter eos; argumento textus in cap. Afferte, de Præscription. & tenet Glossa in cap. In nostra præsentia, de testibus in glos. magna in medio, & ibi DD. ita ergo sit in nostro casu, quia si isti possessores æqualem titulum os-

tendunt, videntur habere rem & possessionem pro parte; si verò nullum titulum ostendunt, saltem videntur habere titulum de jure gentium, quasi occupaverint rem vacantem, quæ in nullius bonis erat: unde merito unusquisque dicitur habere æqualem partem in re, & æqualiter, & communiter possidere pro indiviso: & hoc casu, si quis eorum velit intentare petitum contra alium, poterit facere; cum ista sententia tantum feratur in possessione: Istam conclusionem, & opinionem in hoc dubio passu ponit expressè & magistraliter Bartol. in dict. leg. Si duo. ff. Uti possidetis, final. column. idem Bartol. in leg. unic. Cod. Uti possid. final. column. in medio. Angel. de Aretin. in §. Quadrupli, penultim. column. in fin. Institut. de Action. Plat. in §. Retinenda, Institut. de Interdictis, fin. col. in princip. & ante Bartol. & istos DD. istam opinionem tenuit Vincent. in cap. Licet causam, de probat. quem ibi refert Abb. penultim. column. num. 37. & istam opinionem tenet & sequitur ibi Abbas: & ista opinio esset servanda in iudicando & consulendo tamquam æqua, & bene fulticia: Et ista eadem quæstio & decisio potest esse in re mobili; & si quæras quomodo possint duo probare se possidere rem mobilem? vide notabiliter Rofred. in Libell. suis, in titulo de Interdictis. utrobi. fin. quæst. num. 7.

Et ex his potest inferri ad novam quæstionem: Si plures pretendunt esse domini, & possessores alicujus equi, vel animalis, & uterque petit & vindicat à tertio detentatore, & probat dominium & possessionem, quid faciet iudex? vide singulariter & melius quàm alibi in jure, Paris. de Put. in tractat. Syndic. fol. 214. in verb. Probatio, in princip. ubi dicit, quòd ab alio ista quæstio non est tacta: ubi tenet, quòd ex aliquibus conjecturis una probatio præfertur alteri; puta si sit equus vel animal, quòd liberè dimittatur, & accedat ad domum unius & non alterius, argumento leg. 3. §. Eiusdem. ff. de Testib. cum simil. & in §. Pavonum, Inst. de rerum divis. sed ista non videtur concludens probatio, & fortè non vertitur lis super animali, sed super alia re, vel posset dirimi iudicio sortis, argumento l. 3. §. 1. Commun. de legat. sed illud non habet locum nisi in casibus à jure expressis: Unde tenerem quòd sententia feratur pro utroque, & inter eos dividatur, per supra dicta. Item etiam ex his potest inferri ad quæstionem difficilem: quando duo vel plures reperiuntur instituti ab eodem testatore in diversis testamentis ejusdem diei & horæ, quis eorum succedat? De quo vide suo loco. Item etiam inferatur ad difficilem quæstionem in articulo: Si duo vel plures prætendunt se possidere, an interim pendente iudicio possessio uti possidetis, possit ju-

Anton Gomez ad leg. Taur.

dex summarie cognoscere, ut ille qui melius probet interim defendatur in possessione? De quo articulo vide infra istam leg. in fin.

180 Interdictum verò recuperanda possessionis competit possessori per vim dejecto à sua possessione rei immobilis pro ea recuperanda, & vocatur Unde vi: text. est in leg. 1. vers. 1. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, hoc interdictum proponitur ei qui vi dejectus est, etenim fuit æquissimum vi dejecto subvenire, propter quod ad recuperandam possessionem hoc interdictum proponitur. textus in leg. 2. & per tot. Cod. Unde vi, text. in §. Recuperanda, Institut. de Interdictis. Et hoc procedit, nedum quando quis possidet per se; verum etiam si per alium, ut colonus inquilinus, filius, servus vel alius: text. est in leg. fin. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, si colonus tuus vi dejectus est, ages unde vi interdicto: text. in leg. 1. §. Quod servus eodem titulo. Et natura, virtus & effectus hujus interdicti est, quòd spoliatus restituitur in suam possessionem, & quòd adversarius condemnatur in omni damno & interesse quod spoliatus prætenderit, etiamsi excedat valorem ipsius rei: text. est in leg. 1. §. Qui autem. ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, qui autem vi dejectus est, quid damni senserit ad hoc quod vi dejectus est, recuperare debet, text. in §. Non solum, ejusdem leg. textus melior de jure in leg. In interdicto, eod. tit. cujus verba sunt, in interdicto unde vi tanti condemnatio faciendæ est, quanti intersit possidere: & hoc jure nos uti Pompon. scribit: id est, tanti rem videri, quanti actori intersit: quod aliis minus, aliis plus: nam sæpe actoris plus interest hominem retinere, quàm quantitatis est;

veluti cum quæstionis habenda, aut rei probanda gratia, aut hereditatis adeunda intersit ejus cum possideret, facit etiam bonus text. in leg. Si quis uxori. §. servus qui surreptus. ff. de Furtis; text. in leg. 3. ff. de Condict. furt. text. in leg. Inde Neratius, in princ. ff. ad leg. Aquil. text. in §. Illud, Institut. de leg. Aquilia. (A)

181 Requiritur tamen ad hoc ut competat hoc interdictum, quòd dejectus possideat tempore dejectionis civiliter, & naturaliter, vel naturaliter tantum, vel civiliter tantum: Unde ille qui tantum est detentator, non potest agere hoc interdicto, text. est in leg. 1. §. Dejectus, ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, dejectus is qui possidet, sive naturaliter, sive civiliter possideat, & in fin. dum dicit, non tamen si colonus sit, text. in §. Sive autem corpore, ejusdem leg. text. in §. Idcirco ejusdem leg. Et in possessione naturali exemplum est clarum, quòd evidenter quis potest ab ea dejecti: sed in possessione civili videtur dubium; cum animus possidentis nullo modo videatur recipere violentiam: Sed subtiliter respondeo, quòd possessio civilis ex dispositione juris retinetur animo, quando potest liberè uti re, & uti possessione naturali: unde quando datur talis impotentia, merito & necessario debet amitti, quia deficit fundamentum in quo talis civilis possessio insistebat; & licet ipse civiliter possidens nolit animo desinere possidere, sua voluntas seu protentatio esset nullius momenti, tamquam contraria actui naturali & juris ordinationi; cum talis animus videatur fundari super impossibili: & in hoc consistit vera & subtilis ratio articuli hujus. Pro qua mea ratione facit bonus text. in leg. 3. §. Si quis autem, vers. Proinde

(A) Hoc autem interdictum recuperanda duplex est: unum de vi armata, quod de vi publica appellatur; alterum de vi privata vel de quotidiana, quæ sine armis inferitur; ut ex Cicer. in Oratione pro Cecina, & lib. 7. Familiarium ad Trebatium. Observat Alciat. lib. 1. Parergon. capit. 34. Duaren. lib. 1. Distinct. cap. 20. Cujac. lib. 5. Sententiar. tit. 6. vers. Vi dejectus. Robert. lib. 3. Sententiar. cap. 20. Menoch. de Recuper. remed. 1. ex n. 2. quod non obscure significat rubrica de Vi & vi armat. qua significatur in illo titulo agi de duplici vi, altera privata vel quotidiana, altera armata & publica; de quarum prima agitur in leg. 1. de altera in leg. 3. ejusdem tit. ideoque sub illo titulo duo contineri interdicta scribit Paul. Consultus in leg. 2. §. Recuperanda. ff. de Interdictis inter quæ duo interdicta singularis erat differentia, quòd interdictum de re privata & quotidiana, ei tantum dabatur qui possidebat, ut in leg. 1. §. Interdictis. autem de vi & vi armata, interdictum de vi armata dabatur etiam creditori in possessionem misso, & colono, ut rectè probat Cujacius ubi supra: rursus etiam interdictum de vi quotidiana ei tantum competeat, qui ab adversario nec vi, nec clam, nec precario possidebat; text. in leg. 1. §. Qui à me vi: interdictum de vi publica sine ulla acceptione dabatur etiam ei, qui a me vi, clam, vel precario possidebat; text. in leg. Sed si vi armata 14. ff. De vi armata, quæ jura sic concilianda esse ex Cicerone, ubi supra, & Paul. diff. lib. 5. Sentent. tit. 6. vers. Qui vi, observant Alciat. Duaren. & Cujac. ubi supra. Hujus interdicti causa constituti erant iudices qui reparatores appellabantur, ut docet Cicer. in dict. orat. pro Ceccinna, quamvis pro aliis etiam causis reparatores dari consuevisse doceat Signorolus lib. 2. de Antiquo jure civium Romanorum, cap. 18.

Anton Gomez ad leg. Taur.

Vv 2

de eodem tit. text. in leg. Non solum. §. Si dominus. ff. de Usucap. text. in leg. Clam possidere in fin. cum leg. sequent. ff. de Acquir. posses. probat etiam text. rectè ponderatus in l. 3. §. Nerva filius eod. tit. & reperio quòd in terminis istam rationem ponit Bald. in leg. Licet 2. lect. in finalib. verb. Cod. de Acquir. posses. istam etiam rationem apertè voluit Socin. in lege 3. §. Nerva filius. ff. eodem tit. 2. column. vers. Tu considera, & maxime in vers. Ex quibus infertur, & ante eos voluit Rofred. qui notabiliter loquitur, in Rubr. de Interdict. unde vi 1. column. num. 2. Ex quibus infero, quòd si quis nec animo nec corpore possideat, sed tantum per vim prohibitus sit ingredi aliquam rem, & adipisci possessionem ejus; cum fortè sit hæres, vel emptor, vel alius successor particularis, qui habeat licentiam propria auctoritate ingrediendi possessionem; non competit sibi hoc interdictum unde vi contra impedientem: text. est notabilis in leg. 1. §. Eum qui ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, nec animo nec corpore possidebat, ingredi autem & incipere possidere prohibebatur, non videri dejectionem verus est; deicitur enim qui amittit possessionem, non qui non accipit. Adde tamen, quòd si immediate ipso tempore dejectionis non probet expulsus possessisse, sed ante dejectionem, debet obtinere; quia cum possessio retineatur animo, semper præsumitur possidere saltem civiliter: ita notabiliter tenet Faber. in §. Restituta, in fin. Institut. de Fideicommiss. hæred. 2. column. Item adde, quòd licet principaliter non competat hoc interdictum Unde vi pro rebus mobilibus; tamen bene competit secundarò & accessoriè, quando res mobiles continentur in re immobili. Unde sicut datur & competit pro re immobili, ita pro re mobili in ea contenta: text. est in leg. 1. vers. Illud juncto. §. Planè ff. de Vi & vi armat. cujus verba sunt, illud utique in dubium non venit interdictum hoc ad res mobiles non pertinere: Planè si quæ res in fundo vel in ædibus, unde quis vi dejectus est earum etiam rerum nomine interdictum competere, non est ambigendum, text. in §. Si fundus, & in §. Quod autem ait prætor, ejusdem leg. text. in leg. Merito eodem tit. Item adde, quòd si veritate turbatum super damno, quod possessor passus est per violentiam adversarii in prædictis rebus, stabitur juramento ipsius possessoris expulsi, facta taxatione à iudice secundum quantum personæ: textus est in leg. Si quando, Cod. unde vi, textus in cap. fin. Quod metus causa, & utrobique vide latè per DD. de materia & idem expressè disponit lex 9. in fin. tit. 10. part. 7.

de vi non obstat exceptio dominii; imò ante omnia spoliatus est restituendus: Unde si reus conventus excipiat de dominio, & offerat se in continenti probare, non est audiendus; sed probata violentia, statim debet fieri restitutio, reservato jure dominii & proprietatis ipsi reo: textus est capitalis in leg. Si quis ad se fundum, vers. 1. Cod. ad leg. Juliam de vi, ibi: Ante omnia violentiæ causam examinari præcipimus, & ibi notat Glos. ordinaria in verb. Violentiæ, in princ. Bart. 2. column. prope finem Jac. Butr. 1. col. post princ. 1. opposit. Alber. in princip. Ang. 3. col. vers. Tertio casu, text. in leg. 1. Cod. Super vim vel alio modo, text. in leg. Si maritus, la 1. C. de Donat. inter virum & uxorem, text. juncta Glos. & ibi Alber. Angel. & communiter DD. in leg. 1. in princ. vers. Hoc interdictum. ff. de Vi & vi armat. text. in cap. 1. & ibi comm. DD. de Restit. spol. text. in cap. In litteris eod. tit. ibi: Quia prædo etiam est secundum rigorem juris restituendus, & probant omnia jura illius tituli: & idem hodiè disponit lex fin. tit. 10. part. 7. tenet Bart. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune. ff. de Acquir. posses. 2. col. in fin. num. 3. & super eo communiter DD. idem Bart. in leg. Si de vi, in fin. ff. de Judic. & ibi communiter DD. tenet etiam Cin. Paul. Jas. & communiter DD. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. tollen. ubi ponunt generalem doctrinam & theoreticam, quòd licet in judicio possessorio adipiscendæ regulariter obstat exceptio dominii, quando in continenti offertur probanda, argumento text. in leg. 3. §. Ibidem. ff. Ad exhibend. & in leg. Ille à quo. §. Si de testamento. ff. ad Trebellian. & in leg. Si is à quo in princ. ff. Uti in posses. legat. tamen in judicio possessorio recuperandæ non admittitur, etiamsi in continenti veniat probanda: facit etiam Glos. notabilis, & ejus doctrina in leg. fin. in fin. ff. de Rei vindic. ubi dicit, quòd ubi remedium possessorium datur actori in prænam rei conventi, non admittitur exceptio dominii, etiamsi in continenti veniat probanda: de qua glossa dixi in interdicto adipiscendæ. Et istam conclusionem & doctrinam, quæ habet, quòd agenti in interdicto recuperandæ non obstat exceptio dominii, amplia & extendit duobus & viginti modis, quos ponit & cumulat Rip. in dict. §. Nihil commune, 8. col. n. 46. cum sequentibus.

sus unicus in jure in leg. Si quis emptoris. §. Sed hæc contra super illis. Cod. de Præscript. 30. vel 40. annorum, quem ad hoc reputat singularem & unicum Bartol. in princip. leg. & Bald. ibi, in princip. & Angel. ibi, 2. column. num. 4. notat etiam ad hoc ibi Glossa ordinaria, Salycet. & communiter DD. illum etiam ad hoc dicit unicum Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el 1. in fin. ff. de Vi & vi armat. notant etiam & commendant Bartol. Paul. Alexand. & communiter DD. in leg. Si alienam. ff. Solut. matrim. Imò quod magis est, in tantum causa spoliationis est privilegiata, ut actor qui dicit se spoliatum, si intentavit hoc remedium recuperandæ possessionis, non possit ab adversario conveniri vel reconveniri quovis alio iudicio vel actione reali vel personali, nisi super alia spoliatione, quam ipse actor commisisset in alia re: textus est notabilis in cap. final. de Ordin. cognit. cujus verba sunt, super spoliatione conventus adversus restitutionem petentem, non est nisi super questione spoliationis si eum reconveniat audiendus, & ad hoc eum notant & commendant ibi Glossa ordinaria, Innocent. Hostiens. Joan. Andr. Card. Abb. Anton. Anchar. Imol. & communiter DD. Bartol. in leg. Naturaliter. §. Nihil commune. 7. column. in princip. 1. combination. ff. de Acquirend. posses. & ibi communiter repetentes: idem Bartol. in leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad leg. Juliam de vi. 2. column. num. 2. & ibi Angel. 3. column. in medio, & communiter alii DD. (b)

Limita tamen istam conclusionem, quæ habet, quòd agenti interdicto unde vi non obstat exceptio dominii, sed ante omnia spoliatus est restituendus, ut non procedat: Primò quando ipse actor agens hoc remedio possessorio recuperandæ, patiat super illa exceptione dominii procedi; quia tunc, probato dominio, actor excluditur: ita probat text. in cap. 1. de Restitut. spoliat. & ibi tenent communiter DD. notat etiam & commendat Bartol. in leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad leg. Juliam de vi. 2. column. prope finem, & ibi Jacob. Butr. in princip. Ang. 3. column. versic. Tertio casu, per quos vide bonam rationem: Idem Bartol. in leg. Si duo patroni. §. Idem Julianus. 2. column. num. 10. ff. de

Jurejur. ubi bene declarant: Jacob. Butr. notabiliter in leg. Incerti juris. Cod. de Interdict. 3. column. post principium, versicul. Cave tamen Paul. de Castr. in leg. 2. Cod. de Edict. divi Adrian. toll. fin. column. prope finem, idem Paul. in leg. Si de vi. ff. de Judic. 5. column. in princ. Angel. in leg. 1. §. Hoc interdictum, el 1. ff. de vi & vi armat. num. 4. Contrarium tamen tenet expressè Bald. qui subtiliter loquitur, in leg. Ordinarii. Cod. de Rei vindic. fin. column. num. 14. ubi dicit, quòd etiamsi non replicetur, sed patiat procedi super exceptione dominii, quòd ante omnia actor spoliatus est restituendus: quia hæc est allegatio juris, & consistit in mera & propria natura ipsius interdicti recuperandæ, & ideo exceptio dominii non procedit, licet non interveniat replicatio. Nec obstat secundum eum text. in dict. cap. 1. de Restit. spol. in quo se fundat communis opinio; quia ibi expressè actor voluit admittere reum oponentem de dominio, & super eo litigare. Sed hoc non obstante, teneas superiorem communem doctrinam; quia eadem ratio est quando tacite consensit actor admittendo exceptionem dominii, & probationes fieri super eo: & ex ista ratione reprobat sententiam Bald. Aretin. in dict. §. Nihil commune. 4. column. in med. versic. Et quia, ubi notabiliter loquitur, & ibi etiam tenet Rip. 11. column. num. 72.

Secundò limita, nisi agenti possessorio recuperandæ obstat notorius defectus proprietatis; quia de jure communi non potest habere dominium in illa re: text. est in cap. Ad decimas, de Restit. spol. lib. 6. ubi Episcopus vel Clericus spoliatus quasi possessione decimandi extra suam diocesim, non debet restitui, quia de jure communi habet præsumptionem contra se: & ad hoc illum text. notat ibi Glos. ordinaria, Anchar. & communiter DD. & ad hoc etiam illum textum notat Bald. in dict. leg. Naturaliter. §. Nihil commune, in Addition. suis, cujus lectura hodiè non reperitur, & refert & sequitur ibi Alexand. n. 21. Salycet. qui notabiliter loquitur in leg. Si quis ad se fundum. Cod. ad legem Juliam de vi. 3. col. 7. opin. Paul. in leg. Si de vi. ff. de Jud. 5. col. in fin. versic. Decimus casus. Bald. notabiliter in leg. 1. Cod. de Apellat. fin. column. num. 11. (c)

(b) Hanc regulam latissimè prosequitur Rip. leg. Naturaliter. §. Nihil comm. n. 46. Bolognet. 2. part. ex num. 95. Menoch. de Recuperanda posses. remed. 1. per totam. Portius lib. 2. Conclusiones conclus. 44. Socin. reg. 466. Gabr. lib. 5. conclusion. 1. Perez in Rubr. tit. 14. lib. 3. Ordinam. & in leg. 5. eodem tit. & lib. 1. glos. verb. Luego restituyan.

(c) Quam etiam limitationem confirmat Glossa in cap. Ad decimas, de restit. spoliat. in verb. Præsumatur, versic. Idem videtur, lib. 6. quam sequuntur Cardin. in cap. In litteris de restit. spol. num. 9. & communis quam resolvit Covarrub. in 4. 2. part. cap. 7. §. 5. num. 10. & in practiciis, cap. 23. num. 4. Greg. in leg. 27. tit. 2. part. 3. gloss. verb. Que le entregase, Menoch. de Anton. Gomez. ad Leg. Taur. Vv 3 Re